

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
CONNECTENDIS PRINCIPIIIS
IDEAE DEI,

CUJUS PARTEM.

Conf. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboëns.

PRAESIDE

Mag. FRANC. MICH. FRANZÉN,

Hist. & Mor. Prof. Reg. & Ord.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

JACOBUS JONAS ESTLANDER

Ostrobothniensis

In Auditorio Majori die xxv Junii MDCCCv

H. p. m. II.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO
ADMODUM REVERENDO ET PRAECLARISSIMO
DOMINO MAGISTRO
RUDOLPHO JOS. ESTLANDER,
ECCLESIARUM, QUÆ DEO IN CHRISTINESTAD
ET LAPPEJERD COLLIGUNTUR
PRAEPOSITO ET PASTORI MERITISSIMO,
PARENTI OPTIMO!

*Non secus, ac pinus, dejecta conjugæ, ramos
extendit, teneram protegat ut sobolem:
tu gnatos, matrem plangentes, ipse dolorem
convolvens tacitum, duplici amore fovet.
Dupla igitur pietas quoque te concresecat in unum
infantum, et fantis haud bene quæ mereas,*

*Filiū Observantissimi
JACOBI JONÆ ESTLANDER.*



Veluti pisces, serena æstivi temporis die in aërem exsiliantes, mox in aquam relabuntur: sic animi mortalium, in divinas regiones infinita evoluturi contemplatione, statim in arctum retrahuntur rerum humanarum gyrum. Ut vero ad illarum etiam domicilia solis demittitur lumen: sic ad hos quoque, in sensibilibus orbe inclusos, radii descendunt mere intelligibilium, quibus hunc illustrantibus, summi tandem et perfectissimi numinis adumbrare possunt imaginem.

Constat certe, ideam Dei nos habere. Sed veritatem ejus argumentando evincere æque facile haud est, ac necessitatem illius ad efficiendam cum vitæ tum scientiæ humanæ harmoniam intelligere ac sentire. Apodicticam saltem ejus demonstrationem unquam fieri posse, plurimi jam negant, qui tamen minime dubitant, Deum esse (a). Quamvis autem dogmatica
A illa

(a) Videbis quæ, more suo, tam modeste et sincere quam subtiliter et clare, de hac re disputat *Garve in Versuche über verschiedene Gegenstände aus der Moral &c.* Vol. 5. p. 2 sq. & p. 12 sq. Jure decernit: 1:0 "Dass ausser der Geometrie, und den Wissenschaften, in welchen bloß Ideen mit Ideen verbunden werden, keine De-

illa philosophorum arrogantia, qui, ut cœcus quondam e sono colorem, sic ex iis quæ apparent ea quæ per se sunt, intelligere voluerunt, jure repulsa sit: imprudenter tamen perhibetur, omnem argumentorum, quibus Dei existentia probata est, vim ita esse hodie fractam, ut non nisi vaga quædam superfit fides, cujus rationem reddere nequeamus (b). Nam si vel concedi oporteat, nullum esse argumentum quod solum sufficiat, ne morali quidem excepto: ex omnibus tamen conjunctis certa oritur persuasio, in qua non sensus tantum, sed intellectus etiam tutus acquiescere possit. Est nempe probe observandum, ideam Dei ex pluribus compositam esse notionibus, quas diversis inventas viis ratio in unam connectit et absolvit; ideoque pluribus etiam fundamentis veritatem ejus niti debere. Quod paucis illustrare conabimur: in eo versatur, ut primum originem ipsius notionis de Deo, non tam historice, quam philosophice, spectemus; deinde autem videamus, quid ad existentiam ejus constituendam

monstration statt findet; 2:o Dafs alle demonstrative Sätze nichts über die Wirklichkeit ausagen, und ebendeshwegen demonstrationsfähig sind, weil sie von den blossen Zusammenhänge der Ideen reden."

(b) Non hic moralem illam intelligimus fidem, quam commendat criticæ philosophiæ Auctor: cujus scicilet ratio reddi potest, subjective saltem probabilis: sed aliam quandam cœcam opinionem, qua, e mero sensu, nescio quomodo, evolvenda, multi jam omnem videntur fundare religionem.

endae diversa valeant, equibus exiit, principia. Nempe *cognoscatur*, necesse est, Deus ut *credatur*; quod non satis meminisse videntur qui ex uno principio omnem derivare voluerunt de Deo persuasionem (c).

Ut nullam causam nisi ex effectu suo, sic Deum non nisi ex operibus suis cognosci, in confesso est. Sed opera ejus duplicis sunt generis: unum externo, alterum interno percipitur sensu; unum corpora, alterum animi constituunt. Illius quidem generis experientia primam in homine genuit religionem: agente tamen simul sui ipsius sive mentis suæ conscientia. In se ipso scilicet causam sentiens intelligentem et volentem, eandem in externis quoque finxit rebus: idque eo potius, quo facilius observaret vitæ suæ felicitatem ab earum pendere mutationibus. Nec tam admiranda naturæ pulchritudo et immutabilis ordo, quam timenda ejus potentia et in vitæ humanæ eventus fortuita efficacia, ad externa observanda phæno-

A 2

mena

(c) Docetur quidem, non nisi unam esse cujusque rei demonstrationem. Sed si vel verum id sit, inde tamen non colligas, ipsius rei demonstrandæ cognitionem ex pluribus fontibus non esse hauriendam. Ceterum ipsam demonstrationem etiam plura continere momenta, quæ e diversis oriunda principiis in unum consentiant, logicis repugnare regulis haud crediderim.

mena stupidum excitavit ingenium (*d*). Quæ, igitur omnia vel ut hostilia vel ut amica sibi concipiebat gens effera, vim illis tribuens consilio malam vel bonam. Initio autem occultam illam et invisibilem vim cogitare nequii, nisi signum quoddam illius vel animatum, vel inanimatum, vel natura vel arte factum, coram oculis suis adesset (*e*). Unde *Fetischorum*, quæ dicuntur, cultus ortus est. Qui male intelligitur, si ipsa corpora, ut corpora, coli creduntur: nam id ipsum quod adorantur satis indicat, vel pro simulacris solis numinis cujusdam invisibilis ea haberi (*f*), vel vim quandam pro lubitu bene vel

- (*d*) Primus in orbe deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent, discusque moenia flammis,
atque ictus flagraret Athos.

PETRON.

- (*e*) Quelque penchant que nous puissions avoir à croire, qu'il existe un pouvoir invisible, nous en avons pour le moins autant à fixer notre attention sur des choses qui affectent le sens. Comment concilierons nous deux penchans si contraires? Le seul expedient, c'est de placer le pouvoir invisible dans des objets qui frappent la vue." HUME *Historie naturelle de la religion* 5. (cujus scilicet libri nonnisi Gallica nobis adest translatio).
- (*f*) Sic qui serpentes in Africa hodie adorant, Negrorum e. c. gens *Widabs* appellata, eos non tam Deos, quam diis sacros, habent. (Quod inter ceteros peregrinatores testatur WINTERBOTTOM An account of the native Afri-

vel male faciendi, h. e. animum, iis tribui. Quod nempe rudes homines idola, vel sua confecta manu, et precari et hortari, et reprehendere et laudare, et virgis cædere et donis ornare soleant (similiter fere ac puellæ pupas suas, quas ipsæ concinnarunt): nonne fatis demonstrat, eos non id ipsum quod vident et tangunt, sed aliud quoddam sub eo latens, quod ei e suo quasi pectore addunt, h. e. non corpus sed animum, cultu suo prosequi? Sidera autem ceteraque insigniora naturæ opera, animata et sponte agentia a cultoribus suis habita esse, non ratio tantum iudicat, sed omnis testatur historia (g).

Postea autem, paullo propius cognita rerum in terra occurrentium natura, non jam iis ipsis sed auctoribus et rectoribus earum, quos ab iis diversos variisque et muneribus et attributis distinctos excultior finxit phantasia, mentem tribuerunt homines sui similem; nec tamen mentem solam, sed corpore

cans in the neighbourhood of Sierra Leone: cujus libri recensionem vide in Götting. Anz. 1805 ft. II.) Unde augurari licet, in antiqua etiam Ægypto, multas, quæ colebantur res, non fuisse habitas nisi signa divinitatis: Serpentes e. c. quos sub *αγαθων δαιμονων* nomine in regione Thebaica adoratos esse, refert Herodotus (1. 74). Athenienses quoque sacrum quendam serpentem in arce sua custoditum pro ipsius Minervæ numine coluisse, idem est Auctor (VIII. 41).

(g) "Sidera sua sponte, suo sensu ac divinitate moveri", etiam Philosophi asseruere. V. Cic. de Nat. Deor. II, 16.

pore quoque humano, etsi subtiliori et invisibili indutam. Ita deorum, dæmonum et geniorum existit cultus: quorum quisque sibi propriam vel terræ vel cœli ditionem vel rem humanam regere creditus est; quorum unus illius, alter hujus gentis et loci et negotii habitus est patronus; in quorum numerum deinde etiam heroes relati sunt, hac mortalium vita defuncti, in suam vero patriam suosque cives perpetuum conservaturi amorem. Quos igitur et innumeros et sibi invicem æque contrarios iisdemque obnoxios cupiditatibus, ac homines ipsi sunt, fictos esse, non mireris: si duplicem cogites notionum de iis originem, unam scilicet internam, e nisu ingenii humani omnibus suam tribuendi naturam, alteram externam, e quotidiana fere experientia, et naturæ virium, inter se quasi pugnantium, et fortunæ mutationum, quæ contraria, inconstantia nec raro injusta prodere videntur arbitria, derivandam (*h*).

Eo

(*b*) "Si nous cherchons les traces d'un pouvoir invisible dans les événemens de la vie humaine, la variété et la contrariété que nous y trouvons, nous conduira nécessairement au polythéisme, et nous fera reconnoître plusieurs divinités bornées et imparfaites. Ce que le soleil fuit mûrir, est ravagé par la tempête; les plantes, qui se nourrissent de l'humidité des pluies et des rosées, sont desséchées par les ardeurs du soleil. Ici une nation, que la famine desole, trouve sa ressource dans la guerre; là les maladies et la peste depouplent un royaume florissant, qui nage dans l'abondance. La même nation n'a pas les mê-

Eo usque tandem procesfit intellectus humanus, ut si vel omnes, quas experimur, vires pendere et metiri, omniumque rerum ac eventuum terrestrium certas determinare causas non valeret, in universum tamen e legibus mechanicis, chemicis, organicis, psychologicis et naturæ phænomena et fortunæ multationes explicandas esse decerneret. Quo facto, deorum in illis efficiendis et gubernandis ministerium superfluum haberi oportuit. Atque tollente sic superstitionem scientia physica, neque aliud in ejus locum

fiste-

mes succès par terre et par mer: aujourd'hui elle triomphe de ses ennemis, demain elle succombera sous leurs armes. En un mot, cette dispensation des événements, que nous attribuons à une providence particulière, est variable et incertaine au dernier point. Si plusieurs intelligences s'en mêlent, ce ne peut être qu'avec des dessein et des vues contraires ce qui doit produire entre elles un combat perpétuel. Si une seule intelligence y préside, il faut qu'elle soit sujette à se repentir et à changer de résolution, ce qui ne pourroit arriver que par impuissance ou par légèreté. Chaque peuple a sa divinité tutélaire: chaque élément est gouverné par un maître invisible: les dieux ont partagé l'empire du monde, chacun a son propre domaine, et le même dieu ne suit pas toujours la même conduite: un jour il vous protège, l'autre il vous abandonne: ses faveurs et sa haine dépendent de prières et de sacrifices, de rites et de cérémonies, bien ou mal administrées. C'est de là que viennent tous les biens et tous les maux, entre lesquels nous voyons flotter la vie humaine." HUME 1, c. 2.

sistere valente, quam naturam ipsam ejusque, vires
 et leges, tota periisset religio: nisi et practicam in
 vita mortalium, et theoreticam in ipsis rationis hu-
 manæ legibus illius necessitatem natura ipsa fundas-
 set. De illa, quæ non tam cognitionem quam fidem
 gignit, hic non est quæstio. Hæc autem, cum et u-
 num omnium rerum systema et ultimam atque abso-
 lutam earum causam posceret, humanum ingenium
 ante quiescere non sivit, quam et diversas, quas co-
 gnoscere potuit, res in unum connecteret systema,
mundi formans notionem, et in ejus inquireret ori-
 ginem, primam scilicet et comunem desiderans cau-
 sam ipsarum virium ac legum naturæ, quibus illa
 continetur. Quam cum in materia quadam origina-
 ria, aqua e. c. (*Thaletis*) igne (*Heraciti*) aëre (*Ana-
 ximenis*) cet. actibusque ejus mechanicis et organicis,
 motu, attractione et repulsione oncretionem, emana-
 tione, generatione cet. absurde quæsisset: mentem tan-
 dem cogitavit mundi formatricem, sed cum materia
 conflictantem, cujus scilicet vel *ὁμοιογενείας* vel impul-
 sus ordinaverit tantum, non creaverit. Nec plus ul-
 tra procedere valuit religio sola *physica*, sive quam
 dicunt, *Physicotheologica*, via: qua Naturam contem-
 plamur, ut *est*, causasque et fines illius, ut *experien-
 do* intelliguntur. Unde scilicet docemur, in mundo,
 quem cognoscimus, vim agere, haud mortuam, cum
 vitam efficiat et sensum, nec brutam, cum harmoni-
 am gignat et rationem; ejus vero potentiam et sapi-
 entiam ceteraque attributa ex immensa, quam vide-
 mus,

mus, mundi fabrica colligenda, omnem superare mortalium captum. Qualis autem ceterum sit: utrum mera mens, an cum materia sic composita, ut animus humanus cum corpore suo? Utrum æterna, infinita et per se necessaria, an ex alia quadam vi, majoris ejusdam mundi, nobis ignoti, reëtrice, exorta et pendens? Utrum in una lateat substantia, an in pluribus? Utrum ex nihilo terram creaverit et coelum, an ex rudi et indigesta mole (i)? Utrum libere agat an fato coacta? Utrum legem justii et sancti, an suum tantum respiciat arbitrium? De his omnibus filiet experientia, Quem igitur solam sequendo, non Deum invenies, sed primum fetischa, deinde deos, postremo naturam ipsam deam, animo (k) et corpore ornatam,

B

natam,

(z) "Nachdem bey genauerer Erforschung alles Aufhören und Anfangen der Substanzen bey den vor unsern Augen entliehenden und vergehenden Dingen, als gänzlich falsch und ein Betrug der Sinne gefunden worden; da wir uns überzeugt haben, das kein verkliches Ding sich aus der Welt verliert, keines hinzukommt, sondern alles nur von der Veränderung der Lage des Orts, und von der Composition abhängt: so ist mit dieser deutlichen Einsicht, das für eine Erzeugung aus Nichts keine Erfahrung verbunden sey, auch die Vorstellung zweifelhaft geworden, ob irgend eine Substanz entstehen könne." GARVE, l. c. p. 64. Ex iis autem, quæ nunc fieri experimur, non magis negare, quam affirmare licet, primordia rerum ex nihilo fuisse.

(k) Nam qui materiam tantum et motum in omni rerum natura vident, ut auctor famosi libri *Systeme de la nature*, ipsi terminos transgrediuntur, intra quos rationi hu-

natam, consilio agentem optimo certe et sapientissimo plerumque, sed et tali interdum, cujus nos haud videmus rationem et justitiam. In *Metaphysicum* igitur transcenderet orbem cogitatio humana, necesse erat, ut veram et adaequatam inveniret summi numinis ideam. Quod quo factum sit modo, jam explicaturi, inceptam abrumpere cogimur dissertationem, alio tempore continuandem.

manæ manendum esse statuunt, ipsi e physicis methaphysici facti: cum scilicet animum cum corpore, h. e. sensum internum cum externo confundentes, id quod sentit et cogitat, esse materiam quæ movetur, decernant: quod tamen experientia non magis confirmat, quam id quod sapimus esse id quod videmus. Alia vero est quæstio: annon commune esse possit substratum spiritus et materiæ? Sed de ea re nihil prorsus scimus. Ceterum jure observat GARVE (l. v, h. 67): doctrinam de immaterialitate animi humani cum doctrina de vero Deo multo propius esse connexam, quam plurimi exillimant. "Wenn ich die denkende Kraft zur Erklärung des Ursprungs der Welt anwenden will, so muß ich erst versichert seyn, daß es denkende Kräfte giebt. Wenn aber das menschliche Bewußtseyn, die Gedanken und Handlungen, die wir der menschlichen Seele zuschreiben, nur entferntere Folgenungen der combinirten Bevegungskräfte sind: so giebt es eigentlich nur *eine* Kraft, die welche in der todten Materie eben so wohl, als in dem lebendigen gefunden wird, die Bevegungskraft. Es wäre höchst ungereimt, das was nur als *Resultat*, als Wirkung anderer Kräfte existiren kann, selbst für die alles wirkende Kraft, für die erste Ursache aller Dinge anzunehmen &c.
